

## VIRGILE

## BUCOLIQUES (829 vers)

Meliboeus

B\_1 v.1 Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi  
 2 silvestrem tenui Musam meditaris avena ;  
 3 nos patriae fines et dulcia linquimus arva ;  
 4 nos patriam fugimus ; tu, Tityre, lentus in umbra,  
 5 formosam resonare doces Amaryllida silvas.

Tityrus

6 O Meliboee, deus nobis haec otia fecit :  
 7 namque erit ille mihi semper deus ; illius aram  
 8 saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.  
 9 Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum  
 10 ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

Meliboeus

11 Non equidem invideo, miror magis : undique totis  
 12 usque adeo turbatur agris ! En ipse capellas  
 13 protenus aeger ago ; hanc etiam vix, Tityre, duco :  
 14 hic inter densas corylos modo namque gemellos,  
 15 spem gregis, a ! silice in nuda conixa reliquit.  
 16 Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,  
 17 de caelo tactas memini praedicere quercus.  
 18 Sed tamen iste deus qui sit da, Tityre, nobis.

Tityrus

19 Urbem quam dicunt Romam, Meliboee, putavi  
 20 stultus ego, huic nostrae similem, cui saepe solemus  
 21 pastores ovium teneros depellere fetus.  
 22 Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos  
 23 noram, sic parvis componere magna solebam.  
 24 Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes  
 25 quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Meliboeus

26 Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi ?

Tityrus

27 Libertas, quae sera tamen respexit inertem,  
 28 candidior postquam tondenti barba cadebat ;  
 29 respexit tamen, et longo post tempore venit,  
 30 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.  
 31 Namque fatebor enim, dum me Galatea tenebat,  
 32 nec spes libertatis erat, nec cura peculi.  
 33 Quamvis multa meis exiret victima saeptis,  
 34 pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,  
 35 non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

Meliboeus

36 Mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares,  
 37 cui pendere sua patereris in arbore poma :  
 38 Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,

39 ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.  
Tityrus  
40 Quid facerem ? Neque servitio me exire licebat,  
41 nec tam praesentis alibi cognoscere divos.  
42 Hic illum vidi juvenem, Meliboeae, quotannis  
43 bis senos cui nostra dies altaria fumant.  
44 Hic mihi responsum primus dedit ille petenti :  
45 "Pascite ut ante boves, pueri ; submittite tauros."  
Meliboeus  
46 Fortunate senex, ergo tua rura manebunt !  
47 Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus  
48 limosoque palus obducatur pascua junco.  
49 Non insueta gravis temptabunt pabula fetas  
50 nec mala vicini pecoris contagia laedent.  
51 Fortunate senex, hic, inter flumina nota  
52 et fontis sacros, frigus captabis opacum !  
53 Hinc tibi, quae semper vicino ab limite saepe  
54 Hyblaeis apibus florem depasta salicti  
55 saepe levi somnum suadebit inire susurro ;  
56 hinc alta sub rupe canet frondator ad auras ;  
57 nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,  
58 nec gemere aera cessabit turtur ab ulmo.  
Tityrus  
59 Ante leves ergo pascentur in aethere cervi  
60 et freta destituent nudos in litore pisces,  
61 ante pererratis amborum finibus, exsul  
62 aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,  
63 quam nostro illius labatur pectore vultus.  
Meliboeus  
64 At nos hinc alii sitiens ibimus Afros,  
65 pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen  
66 et penitus toto divisos orbe Britannos.  
67 En umquam patrios longo post tempore, finis,  
68 pauperis et tuguri congestum caespite culmen,  
69 post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas !  
70 Impius haec tam culta novalia miles habebit ?  
71 Barbarus has segetes ! En, quo discordia cives  
72 produxit miseros ! His nos consevimus agros !  
73 Inserere nunc, Meliboeae, puros, pone ordine vites.  
74 Ite meae, felix quondam pecus, ite; capellae :  
75 non ego vos posthac, viridi projectus in antro,  
76 dumosa pendere procul de rupe videbo ;  
77 carmina nulla canam ; non, me pascente, capellae,  
78 florentem cytisum et salices carpetis amaras.  
Tityrus  
79 Hic tamen hanc mecum poteris requiescere noctem  
80 fronde super viridi. Sunt nobis mitia poma,  
81 castaneae molles et pressi copia lactis ;  
82 et jam summa procul villarum culmina fumant,  
83 majoresque cadunt altis de montibus umbrae.

Alexis

B\_2 v.1 Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,  
2 delicias domini, nec quid speraret habebat.

3 Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos  
 4 adsidue veniebat ; ibi haec incondita solus  
 5 montibus et silvis studio jactabat inani :  
 6 "O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas ?  
 7 Nil nostri miserere ? Mori me denique coges.  
 8 Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant ;  
 9 nunc virides etiam occultant spineta lacertos ;  
 10 Thestylis et rapido fessis messoribus aestu  
 11 alia serpyllumque herbas contundit olentes.  
 12 At mecum raucis, tua dum vestigia lustris,  
 13 sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.  
 14 Nonne fuit satius tristis Amaryllidos iras  
 15 atque superba pati fastidia ? Nonne Menalcan,  
 16 quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses ?  
 17 O formose puer, nimium ne crede colori.  
 18 Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.  
 19 Despectus tibi sum nec qui sim quaeris, Alexi,  
 20 quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.  
 21 Mille meae Siculis errant in montibus agnae ;  
 22 lac mihi non aestate novum, non frigore deficit.  
 23 Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,  
 24 Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.  
 25 Nec sum adeo informis : nuper me in litore vidi,  
 26 cum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnin  
 27 iudice te, metuam, si numquam fallit imago.  
 28 O tantum libeat mecum tibi sordida rura  
 29 atque humiles habitare casas et figere cervos  
 30 haedorumque gregem viridi compellere hibisco !  
 31 Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.  
 32 Pan primum calamos cera conjungere plures  
 33 instituit ; Pan curat ovis oviumque magistros.  
 34 Nec te paeniteat calamo trivisse labellum :  
 35 haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas ?  
 36 Est mihi disparibus septem compacta cicutis  
 37 fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,  
 38 et dixit moriens : "Te nunc habet ista secundum."  
 39 dixit Damoetas ; invidit stultus Amyntas.  
 40 Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,  
 41 capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo ;  
 42 bina die siccant ovis ubera ; quos tibi servo.  
 43 Jam pridem a me illos abducere Thestylis orat ;  
 44 et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.  
 45 Huc ades, o formose puer : tibi lilia plenis  
 46 ecce ferunt Nymphae calathis ; tibi candida Nais,  
 47 pallentes violas et summa papavera carpens,  
 48 narcissum et florem jungit bene olentis anethi ;  
 49 tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,  
 50 mollia luteola pingit vaccinia caltha.  
 51 Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,  
 52 castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat ;  
 53 addam cerea pruna ; honos erit huic quoque pomo :  
 54 et vos, o lauri, carpam et te, proxime myrte,  
 55 sic positae quoniam suavis miscetis odores.  
 56 Rusticus es, Corydon ; nec munera curat Alexis,  
 57 nec, si muneribus certes, concedat Iollas.  
 58 Eheu ! quid volui misero mihi ? Floribus Austrum  
 59 perditus et liquidis inmissi fontibus apros.

60 Quem fugis, a ! demens ? Habitarunt di quoque silvas,  
 61 Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces  
 62 ipsa colat ; nobis placeant ante omnia silvae.  
 63 Torva leaena lupum sequitur ; lupus ipse capellam ;  
 64 florentem cytisum sequitur lasciva capella ;  
 65 te Corydon, o Alexi : trahit sua quemque voluptas.  
 66 Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci  
 67 et sol crescentes decedens duplicat umbras ;  
 68 me tamen urit amor ; quis enim modus adsit amori ?  
 69 A, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit ?  
 70 Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo.  
 71 Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,  
 72 viminibus mollique paras detexere junco ?  
 73 Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin."

Menalcas

B\_3 v.1 Dic mihi, Damoeta, cujum pecus ? An Meliboei ?

Damoetas

2 Non, verum Aegonos : nuper mihi tradidit Aegon.

Menalcas

3 Infelix o semper, oves, pecus ! Ipse Neaeram  
 4 dum fovet, ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,  
 5 hic alienus ovis custos bis mulget in hora ;  
 6 et sucus pecori, et lac subducitur agnis.

Damoetas

7 Parcius ista viris tamen obicienda memento.  
 8 Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,  
 9 et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello...

Menalcas

10 Tum, credo, cum me arbustum videre Miconos  
 11 atque mala vitis incidere falce novellas.

Damoetas

12 Aut hic ad veteres fagos cum Daphnidos arcum  
 13 fregisti et calamos ; quae tu, perverse Menalca,  
 14 et, cum vidisti puero donata, dolebas  
 15 et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

Menalcas

16 Quid domini faciant, audent cum talia fures ?  
 17 Non ego te vidi Damonos, pessime, caprum  
 18 excipere insidiis, multum latrante Lycisca ?  
 19 Et cum clamarem : "Quo nunc se proripit ille ?  
 20 Tityre, coge pecus ! " tu post carecta latebas.

Damoetas

21 An mihi, cantando victus, non redderet ille  
 22 quem mea carminibus meruisset fistula caprum ?  
 23 Si nescis, meus ille caper fuit ; et mihi Damon  
 24 ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.

Menalcas

25 Cantando tu illum ? aut umquam tibi fistula cera  
 26 juncta fuit ? Non tu in triviis, indocte, solebas  
 27 stridenti miserum stipula disperdere carmen ?

Damoetas

28 Vis ergo inter nos quid possit uterque vicissim  
 29 experiamur ? Ego hanc vitulam (ne forte recuses,  
 30 bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)  
 31 depono : tu dic mecum quo pignore certes.  
     Menalcas  
 32 De grege non ausim quicquam deponere tecum :  
 33 est mihi namque domi pater, est injusta noverca ;  
 34 bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.  
 35 Verum, id quod multo tute ipse fatebere majus,  
 36 (insanire libet quoniam tibi) pocula ponam  
 37 fagina, caelatum divini opus Alcimedontis ;  
 38 lenta quibus torno facili superaddita vitis  
 39 diffusos hedera vestit pallente corymbos.  
 40 In medio duo signa, Conon et... quis fuit alter,  
 41 descripsit radio totum qui gentibus orbem,  
 42 tempora quae messor, quae curvus arator haberet ?  
 43 Necdum illis labra admovi, sed condita servo.  
     Damoetas  
 44 Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,  
 45 et molli circum est ansas amplexus acantho ;  
 46 Orpheaque in medio posuit silvasque sequentes.  
 47 Necdum illis labra admovi, sed condita servo.  
 48 Si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.  
     Menalcas  
 49 Numquam hodie effugies ; veniam quocumque vocaris.  
 50 Audiatur haec tantum, vel qui venit, ecce, Palaemon.  
 51 Efficiam, posthac ne quemquam voce lacesas.  
     Damoetas  
 52 Quin age, si quid habes : in me mora non erit ulla,  
 53 nec quemquam fugio. Tantum, vicine Palaemon,  
 54 sensibus haec imis, res est non parva, reponas.  
     Palaemon  
 55 Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba ;  
 56 et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor ;  
 57 nunc frondent silvae ; nunc formosissimus annus.  
 58 Incipe, Damoeta ; tu deinde sequere, Menalca.  
 59 Alternis dicetis : amant alterna Camenae.  
     Damoetas  
 60 Ab Jove principium, Musae. Jovis omnia plena :  
 61 ille colit terras ; illi mea carmina curae.  
     Menalcas  
 62 Et me Phoebus amat ; Phoebus sua semper apud me  
 63 munera sunt, lauri, et suave rubens hyacinthus.  
     Damoetas  
 64 Malo me Galatea petit, lasciva puella,  
 65 et fugit ad salices, et se cupit ante videri.  
     Menalcas  
 66 At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas :  
 67 notior ut jam sit canibus non Delia nostris.  
     Damoetas  
 68 Parta meae Veneri sunt munera ; namque notavi  
 69 ipse locum aerae quo congessere palumbes.  
     Menalcas  
 70 Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta  
 71 aurea mala decem misi ; cras altera mittam.  
     Damoetas  
 72 O quotiens et quae nobis Galatea locuta est !

73 Partem aliquam, venti, divom referatis ad aures !  
Menalcas

74 Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,  
75 si, dum tu sectaris apros, ego retia servo ?  
Damoetas

76 Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iolla ;  
77 cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.  
Menalcas

78 Phyllida amo ante alias ; nam me discedere flevit  
79 et longum : "Formose, vale, vale, inquit, Iolla."  
Damoetas

80 Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,  
81 arboribus venti, nobis Amaryllidos irae.  
Menalcas

82 Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,  
83 lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.  
Damoetas

84 Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam ;  
85 Pierides, vitulam lectori pascite vestro.  
Menalcas

86 Pollio et ipse facit nova carmina ; pascite taurum,  
87 jam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.  
Damoetas

88 Qui te, Pollio, amat veniat quo te quoque gaudet ;  
89 mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.  
Menalcas

90 Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi ;  
91 atque idem jungat vulpes et mulgeat hircos.  
Damoetas

92 Qui legitis flores et humi nascentia fraga,  
93 frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.  
Menalcas

94 Parcite, oves, nimium procedere : non bene ripae  
95 creditur : ipse aries etiam nunc vellera siccatur.  
Damoetas

96 Tityre, pascentes a flumine reice capellas ;  
97 ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.  
Menalcas

98 Cogite oves, pueri ; si lac praeceperit aestus,  
99 ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.  
Damoetas

100 Heu heu ! quam pingui macer est mihi taurus in arvo !  
101 Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.  
Menalcas

102 His certe neque amor causa est ; vix ossibus haerent :  
103 nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.  
Damoetas

104 Dic quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo -,  
105 tres pateat caeli spatium non amplius ulnas.  
Menalcas

106 Dic quibus in terris inscripti nomina regum  
107 nascantur flores, et Phyllida solus habeto.  
Palaemon

108 Non nostrum inter vos tantas componere lites :  
109 et vitula tu dignus, et hic, et quisquis amores  
110 aut metuet dulcis, aut experietur amarus.  
111 Claudite jam rivos, pueri ; sat prata biberunt.

## Pollio

B\_4 v.1 Sicelides Musae, paulo majora canamus.  
 2 Non omnes arbusta juvant humilesque myricae :  
 3 si canimus silvas, silvae sint consule dignae.  
 4 Ultima Cumaei venit jam carminis aetas ;  
 5 magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.  
 6 Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna ;  
 7 jam nova progenies caelo demittitur alto.  
 8 Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum  
 9 desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
 10 casta, fave, Lucina : tuus jam regnat Apollo.  
 11 Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,  
 12 Pollio, et incipient magni procedere menses.  
 13 Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,  
 14 inrita perpetua solvent formidine terras.  
 15 Ille deum vitam accipiet divisque videbit  
 16 permixtos heroas, et ipse videbitur illis ;  
 17 pacatumque reget patriis virtutibus orbem.  
 18 At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu  
 19 errantes hederas passim cum baccare tellus  
 20 mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.  
 21 Ipsae lacte domum referent distenta capellae  
 22 ubera, nec magnos metuent armenta leones.  
 23 Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.  
 24 Occidet et serpens, et fallax herba veneni  
 25 occidet ; Assyrium vulgo nascetur amomum.  
 26 At simul heroum laudes et facta parentis  
 27 jam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,  
 28 molli paulatim flavescet campus arista,  
 29 incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
 30 et durae quercus sudabunt roscida mella.  
 31 Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,  
 32 quae temptare Thetin ratibus, quae cingere muris  
 33 oppida, quae jubeant telluri infindere sulcos.  
 34 Alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo  
 35 delectos heroas ; erunt etiam altera bella,  
 36 atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.  
 37 Hinc, ubi jam firmata virum te fecerit aetas,  
 38 cedet et ipse mari vector nec nautica pinus  
 39 mutabit merces ; omnis feret omnia tellus.  
 40 Non rastros patietur humus, non vinea falcem ;  
 41 robustus quoque jam tauris juga solvet arator ;  
 42 nec varios discet mentiri lana colores ;  
 43 ipse sed in pratis aries jam suave rubenti  
 44 murice, jam croceo mutabit vellera luto ;  
 45 sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.  
 46 "Talia saecla", suis dixerunt, "currite", fuis  
 47 concordēs stabili fatorum numine Parcae.

48 Adgredere o magnos, aderit jam tempus, honores,  
 49 cara deum suboles, magnum Jovis incrementum !  
 50 Aspice convexo nutantem pondere mundum,  
 51 terrasque tractusque maris caelumque profundum ;  
 52 aspice venturo laetantur ut omnia saeclo.  
 53 O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,  
 54 spiritus et quantum sat erit tua dicere facta !  
 55 Non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus,  
 56 nec Linus ; huic mater quamvis, atque huic pater adsit  
 57 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.  
 58 Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,  
 59 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.  
 60 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem :  
 61 matri longa decem tulerunt fastidia menses.  
 62 incipe, parve puer : Cui non risere parentes,  
 63 nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

Menalcas

B\_5 v.1 Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,  
 2 tu calamos inflare leves, ego dicere versus,  
 3 hic corylis mixtas inter consedimus ulmos ?  

Mopsus

 4 Tu major ; tibi me est aequom parere, Menalca,  
 5 sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,  
 6 sive antro potius succedimus. Aspice ut antrum  
 7 silvestris raris sparsit labrusca racemis.  

Menalcas

 8 Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.  

Mopsus

 9 Quid, si idem certet Phoebum superare canendo ?  

Menalcas

 10 Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes,  
 11 aut Alconis habes laudes aut jurgia Codri ;  
 12 incipe ; pascentis servabit Tityrus haedos.  

Mopsus

 13 Immo haec in viridi nuper quae cortice fagi  
 14 carmina descripsi et modulans alterna notavi,  
 15 experiar : tu deinde jubeto certet Amyntas.  

Menalcas

 16 Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,  
 17 puniceis humilis quantum saliuca rosetis,  
 18 iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.  
 19 Sed tu desine plura, puer ; successimus antro.  

Mopsus

 20 Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnim  
 21 flebant : vos, coryli, testes, et flumina, Nymphis,  
 22 cum complexa sui corpus miserabile nati  
 23 atque deos atque astra vocat crudelia mater.  
 24 Non ulli pastos illis egere diebus  
 25 frigida, Daphni, boves ad flumina : nulla neque amnem  
 26 libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.  
 27 Daphni, tuom Poenos etiam ingemuisse leones



28 interitum montesque feri silvaque loquontur.  
 29 Daphnis et Armenias curru subjungere tigres  
 30 instituit ; Daphnis thiasos inducere Bacchi,  
 31 et foliis lentas intexere mollibus hastas.  
 32 Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,  
 33 ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis ;  
 34 tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,  
 35 ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.  
 36 Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,  
 37 infelix lolium et steriles nascuntur avenae ;  
 38 pro molli viola, pro purpureo narcisso  
 39 carduus et spinis surgit paliurus acutis.  
 40 Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,  
 41 pastores ; mandat fieri sibi talia Daphnis.  
 42 Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen :  
 43 "Daphnis ego in silvis hinc usque ad sidera notus,  
 44 formosi pecoris custos formosior ipse."  
 Menalcas  
 45 Tale tuom carmen nobis, divine poeta,  
 46 quale sopor fessis in gramine, quale per aestum  
 47 dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.  
 48 Nec calamis solum aequiperas, sed voce magistrum ;  
 49 fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.  
 50 Nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim  
 51 dicemus, Daphnimque tuom tollemus ad astra ;  
 52 Daphnin ad astra feremus : amavit nos quoque Daphnis.  
 Mopsus  
 53 An quicquam nobis tali sit munere majus ?  
 54 Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista  
 55 jam pridem Stimichon laudavit carmina nobis.  
 Menalcas  
 56 Candidus insuetum miratur limen Olympi,  
 57 sub pedibus videt nubes et sidera Daphnis.  
 58 Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas  
 59 panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.  
 60 Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis  
 61 ulla dolum meditantur : amat bonus otia Daphnis.  
 62 Ipsi laetitia voces ad sidera jactant  
 63 intonsi montes ; ipsae jam carmina rupes,  
 64 ipsa sonant arbusta : "Deus, Deus ille, Menalca ! "  
 65 sis bonus o felixque tuis ! En quattuor aras :  
 66 ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.  
 67 Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,  
 68 craterasque duo statuam tibi pinguis olivi ;  
 69 et multo in primis hilarans convivia Baccho,  
 70 ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,  
 71 vina novom fundam calathis Ariusia nectar.  
 72 Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon ;  
 73 saltantes Satyros imitabitur Alpheisiboeus.  
 74 Haec tibi semper erunt, et cum sollemnia vota  
 75 reddemus Nymphis, et cum lustrabimus agros.  
 76 Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,  
 77 dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,  
 78 semper honos nomenque tuom laudesque manebunt.  
 79 Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis  
 80 agricolae facient : damnabis tu quoque votis.  
 Mopsus

81 Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona ?  
 82 Nam neque me tantum venientes sibilus Austri,  
 83 nec percussa juvant fluctu tam litora, nec quae  
 84 saxosas inter decurrunt flumina valles.

Menalcas

85 Hac te nos fragili donabimus ante cicuta :  
 86 haec nos "Formosum Corydon ardebat Alexin" ;  
 87 haec eadem docuit "Cujum pecus ? An Meliboei ? "

Mopsus

88 At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,  
 89 non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,  
 90 formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

Silenus

B\_6 v.1 Prima Syracosio dignata est ludere versu  
 2 nostra, neque erubuit silvas habitare, Thalia.  
 3 Cum canerem reges et proelia, Cynthus aurem  
 4 vellit, et admonuit : "Pastorem, Tityre, pingues  
 5 pascere oportet oves, deductum dicere carmen."  
 6 Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,  
 7 Vare, tuas cupiant, et tristia condere bella)  
 8 agrestem tenui meditabor harundine musam.  
 9 Non injussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis  
 10 captus amore leget, te nostrae, Vare, myricae,  
 11 te nemus omne canet ; nec Phoebo gratior ulla est  
 12 quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.  
 13 Pergite, Pierides. Chromis et Mnasyllus in antro  
 14 Silenum pueri somno videre jacentem,  
 15 inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho ;  
 16serta procul tantum capiti delapsa jacebant,  
 17 et gravis attrita pendebat cantharus ansa.  
 18 Aggressi (nam saepe senex spe carminis ambo  
 19 luserat) iniciunt ipsis ex vincula sertis.  
 20 Addit se sociam timidisque supervenit Aegle,  
 21 Aegle, Naiadum pulcherrima, jamque videnti  
 22 sanguineis frontem moris et tempora pingit.  
 23 Ille dolum ridens : "Quo vincula nectitis ? " inquit.  
 24 "Solvite me, pueri ; satis est potuisse videri.  
 25 Carmina quae voltis cognoscite ; carmina vobis,  
 26 huic aliud mercedis erit." Simul incipit ipse.  
 27 Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres  
 28 ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.  
 29 Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,  
 30 nec tantum Rhodepe miratur et Ismarus Orphea.  
 31 Namque canebat uti magnum per inane coacta  
 32 semina terrarumque animaeque marisque fuissent,  
 33 et liquidi simul ignis ; ut his exordia primis  
 34 omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis ;  
 35 tum durare solum et discludere Nerea ponto  
 36 coeperit, et rerum paulatim sumere formas ;  
 37 jamque novom terrae stupeant lucescere solem,  
 38 altius atque cadant submotis nubibus imbres ;  
 39 incipiant silvae cum primum surgere, cumque

40 rara per ignaros errent animalia montes.  
 41 Hinc lapides Pyrrhae jactos, Saturnia regna,  
 42 Caucasiasque refert volucris, furtumque Promethei.  
 43 His adjungit Hylan nautae quo fonte relictum  
 44 clamassent, ut litus Hyla, Hyla, omne sonaret ;  
 45 et fortunatam, si numquam armenta fuissent,  
 46 pasiphaen nivei solatur amore juveni.  
 47 A ! Virgo infelix, quae te dementia cepit !  
 48 Proetides implerunt falsis mugitibus agros ;  
 49 at non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est  
 50 concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,  
 51 et saepe in levi quaesisset cornua fronte.  
 52 A ! virgo infelix, tu nunc in montibus erras :  
 53 ille, latus niveum molli fultus hyacintho,  
 54 ilice sub nigra pallentis ruminat herbas,  
 55 aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphae,  
 56 Dictaeae Nymphae, nemorum jam claudite saltus,  
 57 si qua forte ferant oculis sese obvia nostris  
 58 errabunda bovis vestigia : forsitan illum  
 59 aut herba captum viridi aut armenta secutum  
 60 perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.  
 61 Tum canit Hesperidum miratam mala puellam ;  
 62 tum Phaethontidas musco circundat amarae  
 63 corticis, atque solo proceras erigit alnos.  
 64 Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum  
 65 Aonas in montis ut duxerit una sororum ;  
 66 utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis ;  
 67 ut Linus haec illi divino carmine pastor,  
 68 floribus atque apio crinis ornatus amaro,  
 69 dixerit : "Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,  
 70 Ascraeo quos ante seni ; quibus ille solebat  
 71 cantando rigidas deducere montibus ornos.  
 72 His tibi Grynei nemoris dicatur origo,  
 73 ne quis sit lucus quo se plus jactet Apollo."  
 74 Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est  
 75 candida succinctam latrantibus inguina monstris  
 76 Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto,  
 77 ah ! timidos nautas canibus lacerasse marinis ?  
 78 Aut ut mutatos Terei narraverit artus ?  
 79 quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,  
 80 quo cursu deserta petiverit, et quibus ante  
 81 infelix sua tecta super volitaverit alis ?  
 82 Omnia quae, Phoebos quondam meditante, beatus  
 83 audiit Eurotas jussitque ediscere laurus,  
 84 ille canit ; pulsae referunt ad sidera valles,  
 85 cogere donec ovis stabulis numerumque referri  
 86 jussit, et invito processit Vesper Olympo.

## Meliboeus

B\_7 v.1 Forte sub arguta consederat ilice Daphnis ;  
 2 compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,  
 3 Thyrsis ovis, Corydon distentas lacte capellas :

4 ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,  
 5 et cantare pares et respondere parati.  
 6 Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,  
 7 vir gregis ipse caper deerraverat ; atque ego Daphnim  
 8 adspicio. Ille ubi me contra videt : "Ocius" inquit,  
 9 "huc ades, o Meliboee ; caper tibi salvos et haedi,  
 10 et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.  
 11 Huc ipsi potum venient per prata juvenci ;  
 12 hic virides tenera praetexit harundine ripas  
 13 Mincius, eque sacra resonant examina quercu."  
 14 Quid facerem ? Neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,  
 15 depulsos a lacte domi quae clauderet agnos ;  
 16 et certamen erat, Corydon cum Thyrdide, magnum.  
 17 Posthabui tamen illorum mea seria ludo.  
 18 Alternis igitur contendere versibus ambo  
 19 coepere ; alternos Musae meminisse volebant.  
 20 Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

Corydon

21 Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,  
 22 quale meo Codro, concedite (proxima Phoebi  
 23 versibus ille facit) ; aut, si non possumus omnes,  
 24 hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

Thyrsis

25 Pastores, hedera nascentem ornate poetam,  
 26 Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro ;  
 27 aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem  
 28 cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Corydon

29 Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus  
 30 et ramosa Micon vivacis cornua cervi.  
 31 Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota  
 32 puniceo stabis suras evincta coturno.

Thyrsis

33 Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis  
 34 exspectare sat est : custos es pauperis horti.  
 35 Nunc te marmoreum pro tempore fecimus ; at tu,  
 36 si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

Corydon

37 Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,  
 38 candidior cynnis, hedera formosior alba,  
 39 cum primum pasti repetent praesepia tauri,  
 40 si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

Thyrsis

41 Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,  
 42 horridior rusco, projecta vilior alga,  
 43 si mihi non haec lux toto jam longior anno est.  
 44 Ite domum, pasti, si quis pudor, ite, juvenci.

Corydon

45 Muscosi fontes, et somno mollior herba,  
 46 et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,  
 47 solstitium pecori defendite : jam venit aestas  
 48 torrida jam lento turgent in palmite gemmae.

Thyrsis

49 Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis  
 50 semper, et adsidua postes fuligine nigri ;  
 51 hic tantum Boreae curamus frigora, quantum  
 52 aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas.

## Corydon

53 Stant et juniperi et castaneae hirsutae ;  
 54 strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma ;  
 55 omnia nunc rident : at, si formosus Alexis  
 56 montibus his abeat, videas et flumina sicca.

## Thyrsis

57 Aret ager ; vitio moriens sitit aeris herba ;  
 58 liber pampineas invidit collibus umbras :  
 59 phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit,  
 60 Juppiter et laeto descendet plurimus imbri.

## Corydon

61 Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,  
 62 formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo,  
 63 phyllis amat corylos ; illas dum Phyllis amabit,  
 64 nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phoebi.

## Thyrsis

65 Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,  
 66 populus in fluviis, abies in montibus altis :  
 67 saepius at si me, Lycida formose, revisas,  
 68 fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

## Meliboeus

69 Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsim.  
 70 Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

B\_8

v.1 Pastorum musam Damonis et Alphasiboei,  
 2 immemor herbarum quos est mirata juvenca  
 3 certantes, quorum stupefactae carmine lynces,  
 4 et mutata suos requierunt flumina cursus,  
 5 Damonis musam dicemus et Alphasiboei.  
 6 Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,  
 7 sive oram Illyrici legis aequoris, en erit umquam  
 8 ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta ?  
 9 En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem  
 10 sola Sophocleo tua carmina digna coturno ?  
 11 A te principium ; tibi desinet : accipe jussis  
 12 carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum  
 13 inter victricis hederam tibi serpere laurus.  
 14 Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,  
 15 cum ros in tenera pecori gratissimus herba,  
 16 incumbens tereti Damon sic coepit olivae :  
 Damon  
 17 "Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, alium,  
 18 conjugis indigno Nysae deceptus amore  
 19 dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis  
 20 profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.  
 21 Incipe Maenaliis mecum, mea tibia, versus.  
 22 Maenalus argutumque nemus pinosque loquentes  
 23 semper habet ; semper pastorum ille audit amores  
 24 Panaque, qui primus calamos non passus inertes.  
 25 Incipe Maenaliis mecum, mea tibia, versus.  
 26 Mopso Nysa datur ! Quid non speremus amantes ?  
 27 Jungentur jam grypes equis, aevoque sequenti

28 cum canibus timidi venient ad pocula dammae.  
 29 Mopse, novas incide faces : tibi ducitur uxor ;  
 30 sparge, marite, nuces : tibi deserit Hesperus Oetam.  
 31 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.  
 32 O digno conjuncta viro, dum despicias omnes,  
 33 dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae,  
 34 hirsutumque supercilium, promissaque barba,  
 35 nec curare deum credis mortalia quemquam !  
 36 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.  
 37 Saepibus in nostris parvam te roscida mala  
 38 (dux ego vester eram) vidi cum matre legentem ;  
 39 alter ab undecimo tum me jam acceperat annus ;  
 40 jam fragiles poteram a terra contingere ramos.  
 41 Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error !  
 42 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.  
 43 Nunc scio quid sit Amor. Duris in cautibus illum  
 44 aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes,  
 45 nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.  
 46 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.  
 47 Saevus Amor docuit natorum sanguine matrem  
 48 commaculare manus : crudelis tu quoque, mater ;  
 49 crudelis mater magis, an puer improbus ille ?  
 50 Improbus ille puer ; crudelis tu quoque, mater.  
 51 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.  
 52 Nunc et ovis ultro fugiat lupus ; aurea durae  
 53 mala ferant quercus ; narcisso floreat alnus ;  
 54 pingua corticibus sudent electra myricae ;  
 55 certent et cycnis ululae ; sit Tityrus Orpheus,  
 56 Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.  
 57 Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.  
 58 Omnia vel medium fiat mare. Vivite, silvae :  
 59 praeceps aerii specula de montis in undas  
 60 deferar ; extremum hoc munus morientis habeto.  
 61 Desine Maenalios, jam desine, tibia, versus."  
 62 Haec Damon. Vos, quae responderit Alpheisiboeus.  
 63 Dicite, Pierides : non omnia possumus omnes.  
 Alpheisiboeus  
 64 "Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta  
 65 verbenasque adole pinguis et mascula tura,  
 66 conjugis ut magicis sanos avertere sacris  
 67 experiar sensus : nihil hic nisi carmina desunt.  
 68 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 69 Carmina vel caelo possunt deducere lunam ;  
 70 caminibus Circe socios mutavit Ulixi ;  
 71 frigidus in pratibus cantando rumpitur anguis.  
 72 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 73 Terna tibi haec primum triplici diversa colore  
 74 licia circumdo, terque haec altaria circum  
 75 effigiem duco : numero deus impare gaudet.  
 76 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 77 Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores ;  
 78 necte, Amarylli, modo et "Veneris" dic "vincula necto".  
 79 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 80 Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit  
 81 uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.  
 82 Sparge molam et fragilis incende bitumine laurus.  
 83 Daphnis me malus urit ; ego hanc in Daphnide laurum.

84 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 85 Talis amor Daphnim, qualis cum fessa juvencum  
 86 per nemora atque altos quaerendo bucula lucos,  
 87 propter aquae rivum, viridi procumbit in ulva  
 88 perdita, nec serae meminit decedere nocti,  
 89 talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.  
 90 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 91 Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,  
 92 pignora cara sui ; quae nunc ego limine in ipso,  
 93 terra, tibi mando : debent haec pignora Daphnim.  
 94 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 95 Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena  
 96 ipse dedit Moeris : nascuntur pluruma Ponto.  
 97 His ego saepe lupum fieri et se condere silvis  
 98 Moerin, saepe animas imis excire sepulcris,  
 99 atque satas alio vidi traducere messis.  
 100 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 101 Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti  
 102 transque caput jace, nec respexeris. His ego Daphnim  
 103 adgrediar ; nihil ille deos, nil carmina curat.  
 104 Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.  
 105 Aspice : corripuit tremulis altaria flammis  
 106 sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit !  
 107 Nescio quid certe est, et Hylax in limine latrat.  
 108 Credimus ? An qui amant ipsi sibi somnia fingunt ?  
 109 Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina, Daphnis."

B\_9 v.1 Lycidas  
 Quo te, Moeri, pedes ? an, quo via ducit, in urbem ?  
Moeris  
 2 O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri  
 3 (quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli  
 4 diceret : "Haec mea sunt ; veteres migrate coloni."  
 5 Nunc victi, tristes, quoniam fors omnia versat,  
 6 hos illi (quod nec vertat bene ! ) Mittimus haedos.  
Lycidas  
 7 Certe equidem audieram, qua se subducere colles  
 8 incipiunt mollique jugum demittere clivo,  
 9 usque ad aquam et veteres, jam fracta cacumina, fagos  
 10 omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.  
Moeris  
 11 Audieras, et fama fuit ; sed carmina tantum  
 12 nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum  
 13 Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.  
 14 Quod nisi me quacumque novas incidere lites  
 15 ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,  
 16 nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas.  
Lycidas  
 17 Heu ! cadit in quemquam tantum scelus ? Heu ! tua nobis  
 18 paene simul tecum solacia rapta, Menalca.  
 19 Quis caneret Nymphas ? quis humum florentibus herbis  
 20 spargeret, aut viridi fontis induceret umbra ?

21 Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,  
 22 cum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras ?  
 23 "Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas ;  
 24 et potum pastas age, Tityre, et inter agendum  
 25 occursare capro (cornu ferit ille) caveto."

Moeris

26 Immo haec quae Varo, necdum perfecta, canebat :  
 27 "Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,  
 28 Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae !)  
 29 cantantes sublime ferent ad sidera cycni."

Lycidas

30 Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos,  
 31 sic cytiso pastae distendant ubera vaccae !  
 32 Incipe, si quid habes. Et me fecere poetam  
 33 Pierides ; sunt et mihi carmina ; me quoque dicunt  
 34 vatem pastores : sed non ego credulus illis ;  
 35 nam neque adhuc Varo videor nec dicere Cinna  
 36 digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Moeris

37 Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,  
 38 si valeam meminisse ; neque est ignobile carmen :  
 39 "Huc ades, o Galatea : quis est nam ludus in undis ?  
 40 Hic ver purpureum ; varios hic flumina circum  
 41 fundit humus flores ; hic candida populus antro  
 42 imminet, et lentae texunt umbracula vites.  
 43 Huc ades ; insani feriant sine litora fluctus."

Lycidas

44 Quid, quae te pura solum sub nocte canentem  
 45 audieram ? Numeros memini, si verba tenerem.

Moeris

46 "Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus ?  
 47 Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,  
 48 astrum quo segetes gauderent frugibus et quo  
 49 duceret apricis in collibus uva colorem.  
 50 Inserere, Daphni, puros ; carpent tua poma nepotes."  
 51 Omnia fert aetas, animum quoque. Saepe ego longos  
 52 cantando puerum memini me condere soles :  
 53 nunc oblita mihi tot carmina ; vox quoque Moerin  
 54 jam fugit ipsa ; lupi Moerin videre priores.  
 55 Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

Lycidas

56 Causando nostros in longum ducis amores.  
 57 Et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,  
 58 adspice, ventosi ceciderunt murmuris aerae ;  
 59 Hinc adeo media est nobis via ; namque sepulcrum  
 60 incipit apparere Bianoris. Hic, ubi densas  
 61 agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus ;  
 62 hic haedos depone ; tamen veniemus in urbem.  
 63 Aut, si nox pluviam ne colligat ante veremur,  
 64 cantantes licet usque (minus via laedet) eamus :  
 65 cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

Moeris

66 Desine plura, puer, et quod nunc instat agamus.  
 67 Carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.



## Gallus

B\_10 v.1 Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.  
 2 Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,  
 3 carmina sunt dicenda : neget quis carmina Gallo ?  
 4 Sic tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,  
 5 doris amara suam non intermisceat undam !  
 6 Incipe ; sollicitos Galli dicamus amores,  
 7 dum tenera attendent simae virgulta capellae.  
 8 Non canimus surdis : respondent omnia silvae.  
 9 Quae nemora aut qui vos saltus habuere, puellae  
 10 Naides, indigno cum Gallus amore periret ?  
 11 Nam neque Parnasi vobis juga, nam neque Pindi  
 12 ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.  
 13 Illum etiam lauri, etiam flevere myricae ;  
 14 pinifer illum etiam sola sub rupe jacentem  
 15 Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei.  
 16 Stant et oves circum (nostri nec paenitet illas,  
 17 nec te paeniteat pecoris, divine poeta :  
 18 et formosus ovis ad flumina pavit Adonis) ;  
 19 venit et upilio ; tardi venere subulci ;  
 20 uvidus hiberna venit de glande Menalcas.  
 21 Omnes "Unde amor iste" rogant, "tibi ? " Venit Apollo :  
 22 "Galle, quid insanis ? " inquit ; "tua cura Lycoris  
 23 perque nives alium perque horrida castra secuta est."  
 24 Venit et agresti capitis Silvanus honore,  
 25 florentis ferulas et grandia lilia quassans.  
 26 Pan, deus Arcadiae, venit, quem vidimus ipsi  
 27 sanguineis ebuli bacis minioque rubentem :  
 28 "Ecquis erit modus ? " inquit ; "Amor non talia curat ;  
 29 nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,  
 30 nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae."  
 31 Tristis at ille : "Tamen cantabitis, Arcades, inquit,  
 32 montibus haec vestris : soli cantare periti  
 33 Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,  
 34 vestra meos olim si fistula dicat amores !  
 35 Atque utinam ex vobis unus vestrisque fuisset  
 36 aut custos gregis aut maturae vinitor uvae !  
 37 Certe, sive mihi Phyllis sive esset Amyntas,  
 38 seu quicumque furor (quid tum, si fuscus Amyntas ?  
 39 Et nigrae violae, sunt et vaccinia nigra),  
 40 mecum inter salices lenta sub vite jaceret :  
 41 certa mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.  
 42 "Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori ;  
 43 hic nemus ; hic ipso tecum consumerer aevo.  
 44 Nunc insanus amor duri me Martis in armis  
 45 tela inter media atque adversos detinet hostes :  
 46 tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum !)  
 47 Alpinas, ah ! dura, nives et frigora Rheni  
 48 me sine sola vides. Ah ! te ne frigora laedant !  
 49 Ah ! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas !  
 50 "Ibo, et Chalcidico quae sunt mihi condita versu  
 51 carmina, pastoris Siculi modulabor avena.  
 52 Certum est in silvis, inter spelaea ferarum,  
 53 malle pati tenerisque meos incidere Amores  
 54 arboribus : crescent illae, crescetis, Amores.

55 Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,  
56 aut acres venabor apros ; non me ulla vetabunt  
57 frigora Parthenios canibus circumdare saltus.  
58 Jam mihi per rupes videor lucosque sonantes  
59 ire ; libet Partho torquere Cydonia cornu  
60 spicula ; tamquam haec sit nostri medicina furoris,  
61 aut deus ille malis hominum mitescere discat !  
62 Jam neque Hamadryades rursus nec carmina nobis  
63 ipsa placent ; ipsae rursus concedite, silvae.  
64 Non illum nostri possunt mutare labores ;  
65 nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,  
66 Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae ;  
67 nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,  
68 Aethiopum versemus ovis sub sidere Cancri.  
69 Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori."  
70 Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam,  
71 dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,  
72 Pierides : vos haec facietis maxima Gallo ;  
73 Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,  
74 quantum vere novo viridis se subicit alnus.  
75 Surgamus : solet esse gravis cantantibus umbra ;  
75 juniperi gravis umbra ; nocent et frugibus umbrae.  
76 Ite domum saturae, venit Hesperus, ite, capellae.